



I, 16.



I, 16.

42

RECTOR  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
**GEORGIVS**  
**F R I D E R I C V S**  
**K R A V S D**  
DIGESTI VETERIS PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIVS CVRIAЕ PROVIN-  
CIALIS CONSISTORII ECCLESIASTICI  
SCABINATVS AC FACVLTATIS IVRI-  
DICAЕ ASSESSOR ITEMQVE ORDINIS  
IVRIDICI H. T. DECANVS

INSTITUTVM  
**IOANNIS CHRISTIANI RICHTERI**

SIZERODENSIS

S. S. THEOLOGIAЕ CVLTORIS

A. D. IIX. KAL. OCT. A. R. S. CICIO CG LXV.

EX  
WEYRAVCHIANAE LIBERALITATIS LEGE  
ORATIONEM  
MAIORE IN AUDITORIO

HABITVR

**C I V I B V S**

COMMENDAT.

---

Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen XIX.  
de originibus Saxoniciis XI.



RECTOR  
ACADEMIE ALTBURGENSIS  
GEORGIAE  
HERIDERICAS  
KRAUS  
DIGESTI VETERIS PROFESSOR  
PARLICAS ORDINARIIS GERIAE PROVIN  
CIVILIS CONSISTORII RECOLLECTORI  
SCABINATAS AC LIVACALITATIS IUR  
DICEAS ASSERITORI ITALIAE ORIGINIS  
IARIDICIS IN DRGNAIS  
INSTITUTUM  
IOANNIS CHRISTIANI EICHSTETRI  
SIEGERBERGENSIS  
E. E. THEODORAE CLAVATORI  
A. D. H. K. K. M. O. L. F. M. A. C. S. C. S. C. C. N. A.  
HYDRACHIANAE THEATRIPALITATIS LEGE  
ORATIONIS  
MAGISTER IN AUDITORIO  
HABITAT  
SIVANAS  
COMMUNICAT.

Thesaurus antiquariorum Germanicorum Societatis XIX  
ab auctiopibus Societatis XL

**D**e conditione Videchindi, postquam se vi-  
ctori Carolo permiserat et religionem Chri-  
stianam suscepserat, de possessionibus eius,  
et de posteris, varias admodum in sententias  
viri docti olim distracti erant, quum quidam aucto-  
res, e quibus certa quaedam repeteret licet, nondum  
in lucem protracti fuissent. Caussas dubitandi de-  
derant antiquiores Francorum scriptores, qui silentio  
fere res huius ducis post factam ditionem trans-  
ierunt. Factum id fuisse inuidia et recordatione da-  
mnorum, ab ipso quondam rebus Francorum et tem-  
plis quoque et sacris illatorum, argumento est indi-  
gnatio ALTFRIDI (vit. Ludgeri c. XVIII.) et ANSCHA-  
RII (vit. Willehadi c. VI.) Credibile est etiam, tan-  
tum valuisse veteris iniuriae memoriam et poten-  
tiae metum, si fidem forte rursus mutasset, ut paullo  
iniquiorem sortem subierit quam ii, qui et citius in  
fidem Caroli venerant, et functi creditis ministeriis  
minore suspicione, ne virium fiducia res nouare cu-  
perent, fuerant. Brunonis posteros initio certe  
longe meliore conditione usos fuisse, res Ecberti  
docent, de quo legi possunt ANNALES NVENAR.,  
(A. 1000-1009.) REGINO, (A. 1000-1009.)  
TVRCKIVS (Fast. Carol. A. 1000. §. 4. p. 47.) et  
GVNDLINGIVS. (Henr. Auc. §. 1. not. c) et d) p. 2  
sqq.) Eius enim amplissimae possessiones ad Ludol-  
phum, fratris nepotem transmissae, tantum ipsi po-  
tentiae et amplitudinis contulerunt, ut restitutus in  
eo gentis ducatus excelsissimum ad fastigium inter-

posteros surrexerit, et imperium demum Romae et Germaniae in hanc familiam translatum fuerit. Sed Videchindi tamen genus non abiecite prorsus iacuisse, MEGINHARDI, scriptores antiquissimi a SCHEIDIO nuper editi, praecolla de Wigberto filio, et Walberto nepote, narratione cognoscimus. Sed de iis LEIBNITIUS adhuc dubitauerat, quia antiquorem nullum scriptorem, quam ALBERTVM STAD., eorum meminisse, crediderat: qua de re nunc omnis scrupulus exemptus est, quia ad MEGINHARDI fidem vetusta etiam documenta a SCHEIDIO (in praef. Biblioth. hist. Goetting. T. I. p. XV sqq.) indicata accedunt. Turbauerant tamen has totas de posteris Videchindi rationes CONRADVS a LICHENAV, (Chron. p. 149.) ALBERTVS STAD. (A. CCCCCLII.) et alii hos secuti recentiores; qui Ludolphum, a Brunone qui descenderat superiore, quem in ditionem prius, quam Videchindum venisse, ANNALIVM FRANCICORVM, quos sigillatim excitare nihil attinet, fide iam monuimus, filium facere Walberti, confusis antiquiorum auctorum narratis decepti, voluerunt; qua re nihil ab omnibus idoneis monumentis alienius, et ratione abhorrentius cogitari potest. Matildem enim, Henrici Auc. coniugem, quum ex testimo*niis* VIDECHINDI CORB., DITMARI, ANONYMI Scriptoris de vita huius, et quorumlibet temporibus proximorum, ortam e stirpe Vidichindi ducis constet; sequeretur, hoc admisso, ut Ludolphus, praeter Brunonem et Ottonem, Henrici patrem, filium etiam

Theo-



Theodoricum, e quo genita Matthilidis fuisset, ha-  
buisset; vnde, ne de consanguinitate dicamus, hanc  
Ottoni, patri Henrici, prope aequalem annis du-  
eturus hic fuisset. Sed bene est, quod longe melio-  
ra edoceamur, de progenie Videchindi, non ab his  
modo, qui ad eam Matthilidem Henrici Auc. con-  
iugem retulerunt, et patruos eius Videchindum,  
Reginbernum et Imodium commemorarunt; sed ab  
illis quoque, qui vitam Meinwerci, Ep. Paderborn.,  
illustrarunt. Supersunt vero alia quaedam aeui se-  
quioris monumenta, in quibus Comites Wettinen-  
ses, e quibus orti sunt Principes nostri, eidem gene-  
ri inseruntur. Varie haec et sub variis nominibus  
sunt edita, primum Chronicae Marchionum Misniae  
titulo in sermone patrio quinques; deinde a STRV-  
VIO, SCHANNATO, et MENCKENIO sub annalium  
Vetero Cellensium, aut simili indice, magna tamen  
exemplarium diuersitate; tandem LVDEWIGIVS e ve-  
tustis membranis publicauit duo fragmenta, nomi-  
ne veterum monumentorum praescripta, (Reliq. T.  
VIII. l. II. N. III. IV. p. 172-257.) conuenientia in ple-  
risque cum illis superioribus, nisi quod maiorem  
antiquitatem nonnullis in locis scripturae variatio,  
ad errorum caussas deprehendendas adcommoda,  
praeferre videtur: quia recentiores, qui aut trans-  
scripsierunt, aut Teutonice interpretati sunt, quae-  
dam, ut adparet, pro lubitu et captu suo mutarunt.  
In his frequentissime prouocatur ad chronica, ut  
tunc loquebantur, Lautersbergensia, seu Montis  
Sereni, diuersa. Sed plerisque in locis, quibus hoc

fit, traduntur quaedam, quae in Chronico Montis Sereni hodie non exstant; nisi quod huic subiectum additamentum (p. 201. ed. Maderi) inde a Theodorico, de quo in superiori specimine egimus, ad Otonem usque, qui diues cognominatus est, quae-dam conuenientia habet. In historia de Timone, cui marchionis dignitas collata est, allegatur CHRONICA MERSEBURGENSIS AVLAE EPISCOPALIS. Eam quamuis eam esse voluerit LVDEWIGIVS, quam ipse (Reliq. T. IV. l. VII. p. 329 sqq.) ediderit, in hac tamen nihil huius rei legitur; ut auctori fragmanti alios codices Merseburgenses ad manum fuisse pateat. Ut autem velut in transcurso hoc moneamus, illud Chronicum, a Ludewigio publicatum, a pluribus diuersis auctoribus contextum quum sit, animaduertimus primum et antiquissimum, cuius reliqui laborem continuarunt, desisse in Meyngotto Ep., ut ex fine cap. XIV. (p. 391.) aperte perspicimus. Sed ut ad vetera ista monumenta redeamus, illorum fidem praeclaram quum inde a Theodorici illius incluti posteris usque ad finem e consensu optimorum scriptorum et diplomatum confirmari videamus, et antiquiores auctores tunc adhuc extitisse, e quibus contexta sint, hodie perditos, aut nondum publicatos, vel sic vix erit, cur in eo suspicionem incurvant, quod Theodoricum, Matthildis patrem, filium fuisse Walberti, Videchindi nepotis prodidit, et ab eo descendere nostros Marchiones Misnenses, testimoniiis chronicorum, de quibus diximus, adfirmauit; quum praesertim relata ab ipso gene-

generis series perpetuis diplomatum documentis  
confirmari possit, quod alio tempore agere consti-  
tuimus. Illud nunc obseruamus, ADDITAMENTVM  
illud CHRON. MONT. SER. fuisse decerptram particu-  
lam forsitan ex ista Chronica de origine principum  
Marchionum, quam se vidisse in Monte Sereno S.  
Petri vidisse AVCTOR (p. 173.) scribit. Tanta est  
consensio vtriusque. Ceterum quia additamentum,  
ut apparet, initio mutilatum est, et in fine perpau-  
ca tantum periisse, MEIBOMIUS codicis possessor  
testatus est, neque postea plenius exemplar recupe-  
ratum fuit, fruendum est his fragmentorum excer-  
ptis. Ceterum varia menda ex collatione mutua  
tolli posse, nunc aliquot exemplis ostendemus. AD-  
DITAMENTVM (p. 202. ed. Mader.) ubi habet:  
*Fridericus vero Comes, Friderici Comitis patruus,*  
*frater Dedonis*, scribendum esse: TIDERICI Comi-  
tis patruus, tam antecedentia probant, quam  
vtrumque FRAGMENTVM. (ap. LVDEWIG. p. 175.  
187.) In ADDIT. (p. ead.) pro: *postea Magdebur-*  
*gensis Episcopus*, scribendum esse: MONASTERI-  
ENSIS, e FRAGMENTIS apparet. (N. III. §. IX. p.  
175. et N. IV. §. XII. p. 190.) In ADDIT. (p. 203.)  
pro: *praeter Ludouici Abbatis Merseburgensis*, le-  
gendum: PATER Ludouici e FRAGM. (N. III. §. XI.  
p. 176. N. IV. §. VIII. p. 189.) In FRAGMENTO con-  
tra N. III. (§. IX. p. 176.) pro: *Adelheid nupsit Er-*  
*nesto marchioni de Bauaria, genuitque ei Luppoldum*  
*Marchionem. altera Bemensem Agnes etc. eiiiciendam*  
*hic esse vocem Bemensem, corrigendamque Bre-*  
*men-*

mentum, et inferius sic inferendam: Scilicet Adelbertum Archiepiscopum BREMENSEM, patet, ex FRAGMENTO N. IV. (§. XIII. p. 191.) et ex ADDIT. (p. 202.) In FRAGMENTO etiam N. IV. (§. I. p. 186.) pro isto monstro: *Eysbenhilda matre Gereonis*, legendum esse: *nata in Eysleben ex Hida matre Geronis*, clarum fit ex ADDITAMENTO (p. 202.) et ex FRAGM. N. III. (§. VI. p. 175.) Praeterea, ut et hoo addamus, in FRAGMENTO N. III. §. XXII. p. 181. corrupti sunt numeri, scribendumque: M. C. LXXXV. et (§. XXIII. p. ead.) M. C. XCVII. et (§. XXIX. p. 183.) M. C. XC. satis historia docet, quam tam ridiculos errores in margine LVDEWIGIVS repetierit. Quanta tamen horum fragmentorum ad instaurandam historiam Misericordiam utilitas sit, inter peritores quosque satis constat, et alio tempore luculentius ostendi poterit.

Weyrauchianae liberalitatis conditionem implere IO. CHRISTIANVS RICHTER, Sizerodensis, SS. Th. cultor, habenda a. d. II X. Kal. Oct. maiori in auditorio oratione, de religionis veritate per aduersariorum conatus magis confirmata, quam depressa, sibi proposuit. Huius, CIVES, honori ut fauere, frequentesque et beneuoli ad audiendum conuenire velitis, quantum exempli et boni moris interest, tantum nobis spei elegantia yestra et ingenuarum artium, quo flagratis, amor, faciunt. V. P. P. Vitebergae a. d. Kal. Oct. A. R. S. CCCLXV.

---

VITEBERGAE, TYPIS VIDVAE E. EICHSFELDI.

Th 2972

ULB Halle  
007 441 851

3





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

41

42

43

44

45

46

47

48

49

50

51

52

53

54

55

56

57

58

59

60

61

62

63

64

65

66

67

68

69

70

71

72

73

74

75

76

77

78

79

80

81

82

83

84

85

86

87

88

89

90

91

92

93

94

95

96

97

98

99

100

101

102

103

104

105

106

107

108

109

110

111

112

113

114

115

116

117

118

119

120

121

122

123

124

125

126

127

128

129

130

131

132

133

134

135

136

137

138

139

140

141

142

143

144

145

146

147

148

149

150

151

152

153

154

155

156

157

158

159

160

161

162

163

164

165

166

167

168

169

170

171

172

173

174

175

176

177

178

179

180

181

182

183

184

185

186

187

188

189

190

191

192

193

194

195

196

197

198

199

200

201

202

203

204

205

206

207

208

209

210

211

212

213

214

215

216

217

218

219

220

221

222

223

224

225

226

227

228

229

230

231

232

233

234

235

236

237

238

239

240

241

242

243

244

245

246

247

248

249

250

251

252

253

254

255

256

257

258

259

260

261

262

263

264

265

266

267

268

269

270

271

272

273

274

275

276

277

278

279

280

281

282

283

284

285

286

287

288

289

290

291

292

293

294

295

296

297

298

299

300

301

302

303

304

305

306

307

308

309

310

311

312

313

314

315

316

317

318

319

320

321

322

323

324

325

326

327

328

329

330

331

332

333

334

335

336

337

338

339

340

341

342

343

344

345

346